

Herrn Prof. J. Overbeck
ergebenen d. Verf. 17

PAULI WOLTERS

DE EPIGRAMMATUM GRAECORUM

ANTHOLOGIIS

LIBELLUS

HALIS

FORMIS HENDELIIS

DE EPIGRAMMATUM GRAECORUM
ANTHOLOGIIS

LIBELLUS

AD RITE OBTINENDOS SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES SCRIPSIT
AMPLISSIMO IN UNIVERSITATE FRIDERICIA
GUILELMIA RHENANA PHILOSOPHORUM
ORDINI TRADIDIT DEFENDETQVE UNA
CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS PUBLICE
DIE XXIX. MENSIS IULII A. MDCCCLXXXII

HORA XII

PAULUS WOLTERS
BONNENSIS

ADVERSARI^I ERUNT
ERNESTUS FABRICIUS
IULIUS HÖPKEN
IOHANNES KEMKE

HALIS
FORMIS HENDELIIS

FRANCISCO BÜCHELER
RENARDO KEKULÉ
HERMANNO USENER
S.



nthologiam graecam, hoc est epigrammatum collectionem, litteris renascentibus primus edidit Ianus Lascaris Florentiae a. 1494; quod opus omnibus acceptissimum fuisse videtur, nam paucorum annorum spatio iterum atque saepius recusum est¹. Anthologia erat illa, quam saeculo XIV confecerat Maximus Planudes monachus CPolitanus: hac igitur una utebantur viri docti, hanc emendare et illustrare conabantur, hanc ludentes versibus latinis exprimebant. Praeter hanc superesse collectiones nesciebant. Primus alia quadam usus est Henricus Stephanus, qui cum a. 1566 anthologiam ederet sex epigrammata γριφώδη addidit 'ex vetere codice epigrammatum quem Lovanii habebat Iohannes Clemens Anglus' descripta, quem codicem eundem esse ac Palatinum putant². Iosephus autem Scaliger (ep. 430 et 431) opinatur Palatinum librum antea Nicolai Sophiani fuisse, quem ut Isocratem et Stephanum Byz. locupletiores sic etiam anthologiam integrum habuisse auctor ei fuerat Franciscus Portus. Sed aliquem hic subesse errorem manifestum est (Rose p. XVIII 33) quamquam non video cur Scaligero non credamus librum epigrammatum fuisse non penes Sophianum illum qui Graeciae formam delineavit (Nicolaum) sed apud alterum Sophianum philogum, cui re vera non Nicolao sed Michaeli erat praenomen³, licet Scaliger

¹ Cf. Friderici Jacobs Prolegomena, editionis mai. vol. VI p. XC sqq.

² Cf. Valentini Rose praefationem ad 'Anacreontis Teii quae vocantur ΣΥΜΠΟΣΙΑΚΑ ΗΜΙΑΜΒΙΑ', imprimis p. III et VIII. De Iohanne Clemente praeterea videnda p. XV et si libet *Nouvelle biographie générale publiée sous la direction de M. le Dr. Höfer* vol. X p. 783, Athenae Oxonienses³ I p. 401, Jöcheri lexicon I p. 1954; quos illi adlegant libros ipse non vidi.

³ Vide de utroque praeter Jöcheri lexicon IV p. 680 et Fabricii Bibl. gr. XI p. 714 Harles, Tiraboschi *Storia della letteratura italiana* VII p. 1084 et Humphredi Hodii *De Graecis illustribus* p. 309, unde

adseveret utrique idem fuisse. In hac re certe falsus est, sed hic minor est error quam quem Rose ei imputat, confudisse Sophianum geographum cum philologo. Accedit quod Petrus Victorius item testari videtur Michaelis hos codices habuisse¹, qui 'commodum' inquit 'mihi est narrare quod a doctissimis viris et magna virtute dignitateque praeditis accepi, Angelo Iustiniano episcopo ac Iohanne Vincentio Pinellio, Michaelis Sophianum graecum hominem amicum utriusque horum et meum quoque non parvum, nactum fuisse vetus exemplar Isocratis in quo et quae divulgatae sunt huius diserti scriptoris orationes leguntur et praeterea fragmentum quoddam

sua sumpsit Schöll *Histoire de la littérature grecque*² VII p. 332. Hariolatur Grässe *Lehrbuch einer allg. Literärgesch.* II 2, 2 p. 887 duos homines misere confundens. — Quod Michaelis Sophianum in gymnasio Patavino docuisse dicunt errare videntur, nam neque in Nicolai Comneni Papadopoli historia gymnasii Patavini neque in Facciolati Fastis gym. Patav. eius nomen occurrit. — Laudat Michaelis Victorius Commentariorum in librum Demetrii Phal. de elocutione (Florentiae 1562) p. 153. Ad eundem est Pauli Manutii ep. latina IV 44 et alia vulgari lingua scripta a. 1558 (*Letttere volgari di M. Paolo Manutio* 1560 p. 152^a).

1 Vide Victorii Commentarios in tres libros Aristotelis de arte dicendi (Florentiae 1579) p. 718. In priore editione (1548) haec verba nec leguntur nec legi potuere, nam tunc inter vivos erat Sophianus, quem die XV mensis Aug. a. 1565 obiisse narrat Leich Sepulcral. carm. p. IX, quocum bene convenit quod Victorius Epistularum lib. V p. 127 narrare dicitur (si modo Tiraboschi VII p. 1085 recte contendit de Michaeli Sophiano illic agi) Benedictum Varchi poetam priusquam Sophiani laudationem confidere posset apoplexia obiisse, quem die XVIII mens. Dec. 1565 naturae debitum solvisse constat. Illud autem si verum est, duo fuerunt eiusdem nominis homines, eodem tempore eodemque loco viventes, uterque Pinelli amicus, fortasse pater et filius. Nam extant codices Michaelis Sophiani Cretensis manu post illum annum (partim domi Pinelli: vide Montfaucon *Palaeographiae graecae* p. 90) exarati, quorum novissimus est a. 1585. Vide E. Miller *Catalogue des manuscrits grecs de l'Escurial* p. 389 cod. X, II, 7 (364) et Victoris Gardthausen *Griechische Paläographie* p. 332. Cuius in catalogo interciderunt codices Escur. Σ, III, 1 (96) et Σ, III, 8 (104) Patavii a. 1569 scripti. Cod. Escur. Ψ, IV, 4 (474) Miller anno 1571 adtribuit, Gardthausen anno 1541, fortasse ex accurate notitia. Librarius hic si Cretensis est prior ille Sophianus fortasse erat Byzantius (cf. Crusium *Turcograeciae* p. 200).

alius quae adhuc in occulto latet; cuius pusillae partis ipsius (ut aiunt) tres loci citati sunt ab Aristotele in hoc libro Factum autem est undique male, nam et Michael mortuus est, et quae possidebat in potestatem venere cognati ipsius, qui domicilium non habet in Italia, neque apud aliquem hic vivit, raroque huc adventat, occupatus in continuis et longinquis navigationibus.'

Ceterum unde Scaliger colligat librum Sophiani eundem esse ac Palatinum equidem non assequor. Scribit enim ep. 431: 'Iam video illum codicem eundem esse quem Nic. Sophianus habebat. Nam praeter alios codices inerat et integer Stephanus ἐθνικογράφος cum toto K et Λ quae hodie imperfecta circumferri non ignoras. Sed codicem Isocratis idem Sophianus habebat, qui Panathenaicum tribus foliis auctiorem continebat quam qui hodie in manibus nostris versatur¹.' Aliquid turbatum esse appareat. Cuinam enim rei inerat praeter alios codices Stephanus? Et quid inde de anthologia colligi debuit? Coniecturam proferre audeo Scaligerum scripsisse 'praeter alios codices ei erat et integer Stephanus,' quem cum in bibliotheca Palatina item extare putaret² collegit omnes Sophiani libros illuc translatos esse.

Ceterum si Sophianus habuit codicem anthologiae et Clemens item, iam duo nobis adgnoscendi sunt libri veteres, et fortasse tertius Angeli Colutii³; sed vereor ne Clementis ille codex apographon tantum fuerit partis cuiusdam Palatini.

¹ Fabulam quandam iocosam addit; sed vides quanto veriora et simpliciora rettulerit Victorius cuius verba optime quadrant in orationem περὶ ἀντιδόσεως.

² Eandem opinionem profert ep. 245. Habebat bibliotheca Palatina Stephani codices duos, alterum vetustiorem, alterum recentiorem, sed neuter integrior fuisse videtur: vide Meinekii praef.

³ Harles ad Fabricii Bibl. graec. IV p. 430 narrat Fulvium Ursinum in codice suo ad praef. libri VII, qua Planudes gloriatur se obscena resecuisse, adscripsisse ἀλλὰ καὶ ταῦτα ἐν παλαιῷ εἰσὶ παρ' Ἀγγέλου τοῦ Κολλωτίου. Quod unde sumpserit reticuit, neque quisquam scire videtur. Ubaldini Vitam Colutii Romae editam a. 1673 ad cuius p. 57, 18 Rose (p. XIX 33) provocat non vidi. Sed scitu est dignissimum quid tandem rei sit, et an alicubi lateat Colutii liber. — De viri vita adi Biographie générale vol. XI p. 208.

Nam nihil inde edidit Stephanus nisi γριφόδη illa epigrammata et Anacreonta (1554) quibus cur contentus fuerit, si tota anthologia ei uti licuit, non intellego, cum praesertim tantam operam in augendo epigrammatum numero posuerit.

Sed haec omnia dubia. Nobis certe unus tantum codex servatus est, quem primus in lucem protraxit Claudius Salmasius¹. Is enim cum a. 1607 Heidelbergae versaretur invenit anthologiam a Planude diversam, ex parte locupletiorem, ante omnia vetustiorem, quam nos Palatinam nuncupare consuevimus. Non ante a. 1584 hunc librum in bibliothecam Palatinam illatum esse² ex catalogo Friderici Sylburg efficitur³: nam in hoc non recensetur, nec post a. 1596 quo Sylburg obiit illuc pervenisse potes cum hic librum descripserit⁴.

Atque ut hac re statim defungar, omnibus notum est codicem anno 1623 cum maxima parte bibliothecae Palatinae a Maximiliano I Bavariae duce Gregorio XV papae dono datum et per Leonem Allatium Romam avectum esse. Quo in negotio ille ne magnum onus et inutile secum duceret omnia tegumenta librorum revelli iussit⁵; quod codici nostro

¹ Vulgo primus hoc codice usus esse dicitur, falso, nam ante eum Sylburg totum descripserat.

² Finsler *Kritische Untersuchungen zur Geschichte der Griechischen Anthologie* p. 8 unde tandem collegit codicem a. 1572 Heidelbergam venisse non video; fortasse male cepit quae vir doctus nescio quis in actis diurnis Augustanis disputavit (*Augsburger Allgemeine Zeitung* 1876 Nr. 30 *Beilage*, Nr. 31 = p. 437, 447).

³ Cf. Wilken *Geschichte .. der alten Heidelbergischen Bücher-Sammlungen* p. 187. Descriptum habes catalogum inter Monumenta pietatis et litteraria a Lud. Christiano Mieg et Daniele Nebel a. 1701 edita p. 1 — 128. Invenies in illo Nr. 57 Stephanum Byz. sed cum postea duos Stephanos habuerit bibliotheca Palatina (Serapeum 1850 XI p. 182) alter esse potest Sophiani iste liber. Isocrates bis habetur Nr. 135, 187, sed nihil inde concludi potest.

⁴ Vide Jacobsi Proleg. p. CXLIII, Fabricii Bibl. graec. IV p. 434 Harles, Pauli Colomesii catalogum librorum Vossianorum (Operum p. 860 Nr. 162) et catalogum librorum qui Burmanni secundi fuerant (codd. mss. p. 26 Nr. 2644). Memoria lapsus Colomesius Opusculorum p. 138 = Operum p. 331 dicit codicem Vossianum a Gruterio esse scriptum.

⁵ Cf. quae Rose Anacreonteorum p. XII 6 excerpit e Theineri

fatale fuit. Nam cum Romae liber in partes duas diremptus esset Francogalli quidem cum a. 1797 magnum codicum numerum praedam secum ducerent utramque investigare non omiserunt¹, Germani vero cum a. 1816 impetrassent ut hic quoque liber redderetur una priore parte contenti fuere. Paulssen autem cum alteram deesse primus animadvertisset (Correctionis p. XII), ubi illa lateret ignorabatur² donec per Dübnerum cognitum est eam Parisiis remansisse³, ubi nunc inter supplementa est codex 384. Continet autem pars Heidelbergensis libros I—XIII, Parisina XIV et XV. Sed duas has partes ut unius corporis membra male dirempta etiam nunc uno Palatini codicis nomine comprehendam.

Hunc codicem Salmasius excussit totum, quae in anthologia Planudea desiderarentur epigrammata descripsit et viris doctis liberalissime communicavit. Inde celebrari coepit Constantini Cephalaee nomen, quod ut totius collectionis conditoris Salmasius e membranis eruerat cum antea plane ignotum fuisset Ad hunc hominem quae spectant scholia codicis breviter enarrabo. Quater invenitur Cephalaee nomen in margine libri VII, statim initio p. 207 ἀρχὴ τῶν ἐπιτυμβίων ἐπιγραμμάτων ὡν ἐσχεδίασεν ὁ κύρις κωνσταντῖνος ἡεραλᾶς. ὁ μακάριος καὶ

libro *Schenkung der Heidelberger Bibliothek usw.*, quem mihi videre non licuit.

¹ Cf. Chardon de la Rochette *Mélanges de critique et de philologie* I, p. 289 = Millin *Magasin encyclopédique* 1798 I p. 90: *Le pape étoit si jaloux de conserver ce manuscrit, qu'il le fit porter à Terracine avec ses bijoux les plus précieux; mais nos commissaires le firent rapporter, et s'apercevant qu'il avoit été relié à neuf et que l'Anacréon en avoit été détaché, ils firent rapporter aussi l'Anacréon, et ces deux parties ne furent comptées que pour un seul manuscrit.*

² Cf. Anacreontea a Friderico Mehlhorn a. 1825 edita p. 2: Tristem nuntium a viro summo (Boissonade) accepi, codicem Parisiis non extare, addiditque amicus suspicatos esse viros bibliothecae regiae praefectos, haud dubie inter transportandi tumultum eum aut periisse aut interceptum esse. Sed eodem fere tempore usi sunt nonnulli Anacreontis codice Parisino (cf. Ambrosii Firmin Didot *Notice sur Anacréon* p. 39) quem tamen non perditum illum esse omnes contenerunt miro iudicio.

³ Zimmermanni *Zeitschrift für die Altertumswissenschaft* 1839 VI p. 464.

ἀείμνηστος καὶ τριπέθητος. ἀνθρωπος, tum ad VII 334 p. 255 εἰς φρόντιστρα υἱὸν πωλίττης εύρεθη δὲ ἐν κυζίκῳ¹. τὸν δὲ ποιήσαντα οὐ γινώσκω :— ἐγγάφη² δὲ καὶ τοῦτο ὄμοιώς (ut ep. 327) παρὰ τοῦ μακαρίου γρηγορίου τοῦ καρψί³ δῆθεν αὐτὸν καὶ ὁ κεφαλᾶς ἐν τοῖς ἐπιγράμμασιν ἔταξεν, tertio ad VII 429 p. 273 τοῦτο τὸ ἐπίγραμμα ὁ κεφαλᾶς προεβάλετο ἐν τῇ σχολῇ τῆς νέας ἑκατησίας ἐπὶ τοῦ μακαρίου γρηγορίου τοῦ μαγίστορος, postremo ad ep. 432 p. 273 ad quod tria spectant scholia. Quae sunt haec: [ἔως]⁴ ὥδε μιχαὴλ τοῦ χαρτοφύλακος, tum ἔως ὥδε τὰ τοῦ κυροῦ μιχαὴλ τοῦ μαξί περιεῖχον ἐπιγράμματα ἀτιναὶ ἴδιοχειρῶς αὐτὸς ἔγραψεν ἐκ τῆς βίβλου τοῦ κεφαλᾶ et iterum in margine superiore huius paginae⁴ ✕ ἔως ὥδε ἀντεβλήθη πρὸς τὸ ἀντιβόλιν τοῦ κυροῦ μιχαὴλ ✕ καὶ διωρθώθη τινὰ πλὴν ὅτι κάκενο σφράγια εἶχεν :— Vides non multum nos edoceri de ipso Cephala his scholiis. Hoc unum addam. Scholia ad ep. 432 priora duo a correctore scripta sunt, de quo cf. Finsler p. 30 sqq., tertium ab alia manu librario simili, ipsumque correctorem produnt loquentem. Primum ut nunc legitur librario debetur, sed immutatum esse videtur id quod olim Cephalas adscripserat. In altero γινώσκω sine dubio ε Cephalae persona dictum est, reliqua iterum immutata sunt. Tertium a correctore et scriptum et profectum est.

Maioris est momenti quod ad librum IV appictum est manu eius qui lemmata scribere solebat scholion p. 81 οὗτος ὁ μελέαγρος φοίνιξ ἦν τῶν ἀπὸ παλαιστίνης πο). ἐποίησεν δὲ τὸν θαυμάσιον τουτονὶ τῶν τῶν ἐπιγραμμάτων στέφανον ✕ συνέταξεν δὲ αὖ κατὰ στοιχείον ἀλλὰ κωνσταντὸν ὁ ἐπονομαζόμενος κεφαλᾶς συνέχεεν αὖ ἀφόρισας εἰς κεφάλαια διάφορα. ἤγουν ἐρωτικὰ ἴδιως: καὶ ἀναθεματικὰ καὶ ἐπιτύμβια: καὶ ἐπιδεικτικὰ: ὡς νῦν ὑποτέτακται ἐν τῷ παρόντι πτυχτίοι:— quo efficitur si non totam at magnam partem nostrae collectionis a Constantino Cephala compositam esse vetustiorum florilegiorum ope.

¹ κυζίκῳ corr. in rasura; quid antea fuerit dispicere non potui In margine superiore idem corr. adscripsit ταῦτα ἀπὸ τῆς πόλεως κυζίκου: ζτ καὶ τὰ ἐν τῷ ναῷ (l. III). Idem antea πολίττης emendavit.

² Lege μετεγράφη. ³ ἔως in codice omissum est. ⁴ Cf. Finsler p. 33, qui in hoc uno errat quod scholia in duabus paginis legi autumat; cf. Graux *Revue critique N. S.* 1877 VI p. 248.

Brunck (*Analectorum* p. III) et hunc secutus Jacobs (Proleg. p. LXXIV) saeculo decimo sub Constantino VII Porphyrogenneto Cephalam vixisse coniectura assecuti sunt: causas certas proferre non potuere, nisi quod scholio modo adlato (VII 429) liquido demonstrari licet non ante finem saeculi noni eum vixisse, cum in schola novae ecclesiae sub Gregorio magistro¹ docuisse feratur, quae ecclesia a Basilio Macedone imp. aedificari copta est a. 876 consecrata 881; cf. Eduardi de Muralt *Essai de chronographie byzantine de 395 à 1057* p. 456, 461.

Melius et certius testimonium Henrichsen² protulit ex Theophane qui dicitur continuato (p. 388 ed. Bonnensis) petitum, quod idem apud Georgium monachum (p. 880 ed. Bonn.) extaret. Georgii monachi recentiorum imperatorum vitas quas dicebant, editas post Theophanem continuatum in ed. Bonnensi, non illi uni deberi scimus³ postquam a. 1859 Eduardus de Muralt integrum eius chronicon edidit. Georgius ipse res ab orbe condito usque ad a. 842 gestas quattuor libris comprehendit, quibus postea adiecta est narratio rerum usque ad a. 948 gestarum a logotheta quodam conscripta et alia quaedam⁴. Logothetae istius fragmentum, nam pars tantum est maioris operis mutilati eo consilio ut Georgio subiceretur⁵, optimae fidei, a permultis posterioris temporis scriptoribus exscriptum est, ab eo qui Theophanis continuati libri VI partem priorem composuit, Symone magistro, Leone magistro, aliis⁶.

¹ Hic Gregorius num is sit quem anno 932 mortuum esse audi-
mus nescio; vide Muralt *Essai* p. 507, cf. etiam p. 456, 457.

² *Om den palatinske Anthologies Oprindelse, Alder og Forhold til Maximos Planudes's Anthologie: Det Kongelige Danske Videnskabernes Selskabs Skrifter. Femte Række. Historisk og Philosophisk Afdeling.* IV p. 144.

³ Vel potius denuo edocti sumus, nam Allatius (*De Georgiiis, Fabricii Bibl. graec. X* p. 641 = XII p. 30 Harles) et post eum Fabricius (*Bibl. gr. VI* p. 154 = VII p. 463 Harles) recte rem exposuerunt.

⁴ Vide his de rebus Ferdinandi Hirsch librum optimum *Byzantinische Studien* p. 2 sq. 35 sqq. 51. 87.

⁵ Hirsch p. 54. ⁶ Cf. Hirsch, imprimis p. 181. 267. 318.

Ad hunc igitur ut ceterorum fontem redeamus, reliquis non utamur nisi ut apographis eiusdem operis fortasse lectionem aliquam meliorem servantibus quam nostri Georgii codices. Narrat igitur logotheta Georgii monachi Ε' θ' (15) p. 806 Muralt, p. 880 Bonn. haec: Βλέπουσα δὲ ἡ Αὐγοῦστος Ζωὴ (Leonis VI uxor Constantini VII mater, tunc temporis pro filio imperatoris vice fungens) τὴν ἐπαρσιν Συμεὼν (Bulgarorum ducis Thraciam vastantis) καὶ τὴν κατὰ τῶν Χριστιανῶν αὐτοῦ ἐπίθεσιν, βουλὴν μετὰ τῶν ἐν τέλει βουλεύεται, ἀλλάγιον καὶ εἰρήνην μετὰ τῶν Ἀγαρηνῶν διαπράξασθαι, διαπεράσαι δὲ πάντα τὸν τῆς ἀνατολῆς στρατὸν πρὸς τὸ καταπολεμῆσαι¹ καὶ ἀφανίσαι τὸν Συμεὼν Ἐξαγαγόντων δὲ τὰ σεβάσμια ξύλα καὶ ζωοποιὰ Κωνσταντίνου πρωτοπαπᾶ τοῦ παλατίου τοῦ Κεφαλᾶ λεγομένου καὶ Κωνσταντίνου τῆς Μαλελίας² ἐν τῇ Θράκῃ, ἀπαντες προξενήσαντες καὶ ἐπομοσάμενοι συναποθήσκειν ἀλλήλοις πανστρατὶ κατὰ Βουλγάρων ἔξωρμησαν Μηνὶ δὲ Αὐγοῦστῳ καὶ ινδικτιῶνος ἐπόλεμος μεταξὺ Βουλγάρων τε καὶ Ρωμαίων πρὸς τῷ Ἀχελῷ³ συγκεκρότητο ποταμῷ. Quae pugna Romanis infastissima evenit. Quod factum est a. p. Ch. n. 917; cf. Muralt *Essai de chronographie byzantine* p. 494, Krug *Kritischer Versuch zur Aufklärung der byzantinischen Chronologie* p. 130.

Huic igitur Cephalae, protopapae palatii, hoc est primo sacerdotum aedium caesarearum⁴, collectionem epigrammatum

¹ πολεμῆσαι: Georgius, illud Theophanes cont. p. 388 Symeon p. 723 Leo gramm. p. 294 ed. Bonn. Discrepantias quae sunt multae non adnotabo nisi quae Georgium emendatiorem reddunt aut in locis dubiis occurrunt.

² Sic Leo gramm. p. 294 Bonn. Georgii codices τοῦ Μαλελία ἐν τῇ Θ. Theoph. cont. p. 389 Bonn. τοῦ Βαλελίας ἐν τῇ Θ.

³ Ἀχελῷ habent codices Georgii, Ἀχελῷ est in editionibus Leonis gramm. Theophanis cont. Symeonis, Ἀγχέλῳ scriendum esse putat Muralt praeeunte Philippo Krug. Res incerta; sed mutatione interim abstinentum cum praelestim Ἀχελός nomen (de accentu nunc non ago) a quo Ἀχελώιος derivatur sine offensione sit, immo hoc ipsum fortasse exstet in vase Monacensi (*Annali d. J.* 1839 XI tab. Q, Jahn *Beschreibung der Vasesammlung König Ludwigs* No. 251) et Acheloi quot fuerint tota Graecia nemo nesciat.

⁴ Vide Iohannis Meursii *Glossarium graecobarbarum* p. 583,

quae codice Palatino continetur debemus. Qui cum anno 917 tanto munere functus sit saeculo IX exeunte florilegium suum composuisse putandus est.

Fridericus Jacobs cum librum Palatinum altera anthologiae editione exprimeret merito codicis paginas in margine notavit, quod in novissima editione omissum esse aegre ferimus. Numeratae autem sunt paginae a manu XVI saeculi ut videtur, atramento; errores aliquot commissi sunt in parte priore (vide Finsler p. 13), in posteriore vero inde a libro XIV quid tandem sibi proposuerit qui haec adlevit vix dispicies: tanta grassatus esse videtur libidine¹. Post p. 615 unam sine numero reliquit, tunc 616 scripsit, paginis deinde tredecim praetermissis adiecit numerum 623, iterumque post undecim 629, post viginti 639 et 640, post tres 642 iterumque post tres 644 etc. Quod aegre tulisse videtur Spallottus et inde a p. 615 suis usus est eisque rectioribus numeris² quos apud Jacobsium habes. Sed cum hic numerum 616 omiserit, uno maiores sunt omnes; tamen hanc numerandi rationem aetate quodammodo sancitam praeferendam duxi alteri omni ex parte verae quam incohavit qui in libro Parisino usque ad finem Anacreontorum (p. 691 Jacobs, 690 re vera) numeros adiecit stilo plumbeo usus quamque secutus est Rose (Anacreontorum p. IV) neque minus ei quam bibliothecae Parisinae curatores addiderunt foliorum numeros persribentes prioris codicis partis ratione habita nulla.

Libri Palatini pars quae ad sedem pristinam varia post fata revertit quaternionibus constat XXXVIII et folio uno = p. I — 614 (cf. Finsler p. 13); partis quae Lutetiae remansit folia priora hoc modo cohaerent³

1 2 3 4 5 6 7 = p. 615—629;



Du Cange Glossarium ad scriptores mediae et infimae graecitatis s. v. παπᾶς.

¹ Hoc intellexi ex descriptione codicis Parisini quam intercedentibus Hermanno Usener et Henrico Weil meum in usum comiter confecit de Nolhac scholae summorum studiorum quae floret Lutetiae alumnus.

² In libro Parisino horum numerorum nullum vestigium.

³ Postquam de Nolhac scripsit quaternionum conexum aegre posse dispici propter codicis suturam nimis strictam, litteris adii

est igitur quaternio completus adsumpto folio postremo (p. 613/14) codicis Heidelbergensis. Tunc iterum secuntur folia septem

8 9 10 11 12 13 14 = p. 630 — 643

hoc est ternio folio uno (12) inserto auctus. Hunc excipiunt quaterniones quattuor pleni (= p. 644 — 707)¹. Praeterea praemittuntur libro folia nonnulla epigrammatis conscribillata a manu rudi et inculta (Finsler p. 15) quae eadem duo folia in fine (p. 708 — 711) addidit² et in codice ipso locos vacuos implevit. Hanc multo recentiorem esse ipso codice ideoque separandam appetet.

Sed ipsum quoque librum non ab uno eodemque librario saeculo fere XI scriptum esse inde a Jacobsio (Proleg. p. LXIV) omnes contenderunt. Una manus adgnoscitur quaternionibus prioribus XXVIII (= p. 1 — 452 Pauli Silentarii ἔκφραστιν, Gregorii eclogas, Anthol. Pal. lib. I — IX 563 referentibus) altera sequentibus quaternionibus XI et ternione illo uno folio aucto (= p. 453 — 643 Anth. Pal. IX 564 — XIV) tum denuo prior manus quaternionibus IV (= p. 644 — 707³ Iohannis Gazaei ecphrasin, Anth. Pal. XV una cum Anacreon-teis etc. continentibus).

Haec recte dici unus Carolus Graux, de cuius praematura morte nuper venit nuntius luctuosus, negavit. Sibi enim totum codicem unius librarii videri⁴. Sed etiamsi scripturae

Carolum Zangemeister bibliothecae Palatinae curatorem, quippe quem scirem cum codicis folia singula arte photographa repraesentanda curaret omnia solvisse vincla, et petivi ut si quid tunc enotasset mecum communicaret. Cuius humanitati debo quaecunque hac de re profero.

¹ Nam nullius videtur esse momenti quod quaternio paenultimus sic est compositus

31 32 33 34 35 36 37 38 = p. 676 — 691.

Folia 33 et 36 nunquam cohaesisse testatur Zangemeister.

² Pag. 710 pars dimidia vacua mansit ut tota 711.

³ Jacobsi errorem (Proleg. p. LXIV) iterans Finsler p. 12 usque ad p. 705 tantum tertiam codicis partem extendi dixit, quem notavit Carolus Graux loco statim indicando.

⁴ Vide censuram libri Finsleriani *Revue critique d'histoire et de littérature. N. S. 1877 IV p. 245 sqq.*

illae duae non tam diversae essent, ut non idem homo diversis temporibus eis uti potuerit¹, qui tandem factum est ut primum uno scripturae genere uteretur librarius paginis fere CCCCL continuis, tum altero item paginis CC, deinde ad prius relaberetur? Hoc eo mirabilius est quod scripturae mutatio non invenitur nisi in quaternionis fine, et prior manus ubi denuo incipit p. 644 totam litteris maiusculis scribit; adde quod alteram illam manum crassiore membrana usam esse constat (Finsler p. 13) et concedes ab uno eodemque homine diversas has partes nunquam scriptas esse posse, immo recte diversorum codicum partes dici. Paulsseno pars secunda antiquior visa est, non solum propter ductus litterarum sed etiam ea de causa quod is qui primam et tertiam partem exaravit, secundam hic illic emendasset. Quod perperam poni dicit Finsler (p. 17) nullum enim prioris illius manus in altera parte extare vestigium²; praeterea recte a Wattenbachio alteram partem priore non vetustiorem dici (*Anleitung zur Griech. Paläographie*² p. 54). Hae curiosae descriptiones aetatum librorum quam non certae sint nemo nescit. Vetustiores videri ductus alterius partis unusquisque concedet, et aliquanto si non multo re vera antiquiores esse codicis universa condicio docebit.

Nam cum altera pars membranis crassioribus scripta sit, apparet non librarium secundum excepisse in exarando libro priorem, sed partes diversae esse originis. Hoc etiam eo confirmatur, quod in fine primæ partis p. 452 margini ad pictum legitur ab ipso librario ut videtur (cf. Finsler p. 121) ζῆτει Νικίου εἰς τὸ ἔαρ, p. 453 vero altera manus recte incipit a Niciae epigrammate in ver vel potius apem composito (IX 564).

Finsler totam rem his verbis explicat p. 121: 'In der Vorlage von A (sic nuncupat librarium priorem) schloßs Buch IX

¹ Quod nunc unicuique dignoscere licet beneficio Exemplorum codicum graecorum a Guilelmo Wattenbach et Adolfo von Velsen editorum, tab. 36.

² Correcturas illas a C_I et C quos dicit, hoc est a correctore et lemmatum scriptore, adiectas esse; C autem cum et mihi et aliis librarius ipse videatur esse, secundis curis opus suum retractans fortasse Paulssen non erroris accusandus est in hac re. Sed hoc nostra nunc non interest.

mit No. 563 und fehlte Alles von Buch IX 564 ab bis Buch XIV einschliesslich. Der Schreiber A, die Unvollständigkeit seines Exemplars erkennend und auf Ergänzung desselben bedacht, fand in einer zweiten sich ihm darbietenden Handschrift der Anthologie ein Stück, das seiner Vorlage fremd war, und das er für die Completirung seiner Abschrift geeignet hielt; vielleicht dachte er daselbe aus jener zweiten Handschrift abzulösen und in seine Abschrift einzurordnen. Auf jenes Stück, das mit dem Gedicht des Nikias auf den Frühling begann, bezieht sich wohl seine Anmerkung ζτ. νκίου εἰς τὸ ἔαρ. Diese Anmerkung wurde beachtet, denn die beiden Teile müssen bald vereinigt worden sein; es finden sich nämlich auch im zweiten Teile Spuren des Lemmatisten, der nicht gar viel jünger gewesen sein kann als der erste Schreiber.¹ Omnia exscripsi ne quid male vertendo pessum dare, tam subtilia et fragilia sunt omnia. Quid enim? Credemusne Byzantii eo tempore librarium aliquem anthologiae exemplar mutilum accepisse describendum, quo tantum non ipsius Cephalae² praesto erat liber? Deinde si quis penuria nescio qua motus ad librum configisset truncatum, quid minus credibile quam sarcimentum eum quaesitum fuisse ex aliis libri diversi exemplo eoque antiquiore; et si peteret, cur non descripsit ea, quibus lacunam expleret sed satius duxit alium librum bonum truncare ut truncatum vel imperfectum conficeret? Et quid magis mirum, si librarium nobis fingimus illum, codicem describentem mutilum, quam quod versibus neque unquam diductis neque coartatis, id quod ex tabula Wattenbachiana unicuique cognoscere licet, forte fortuna litterulam postremam in fine non solum folii versi sed etiam quaternionis totius scripsit²? Et quo tandem factum

¹ Cf. Finsler p. 33.

² Quod non infringitur eo quod ep. IX 563, quod prioris partis est postremum, versus 5 et 6 sic prescripti sunt in codice a manu prima σπευσάτω οὐκ ὀχυρὴν γὰρ ἔχω στάσιν εἴπερ ὀπώρην ἀκρήτου χρητέει δρέψαι ἀπ' ἀκρεμόνος : ~

~ σπευσάτω οὐκ ὀχυρὴν γὰρ ἔχω στάσιν εἴπερ ὀπώρην.

Nam sive putas versum ultimum errore repetitum esse, sive consilio ne spatium vacuum maneret, stat sententia supra prolata, immo hoc ei etiam favet.

esse iudicabimus, ut pars prior et altera, cum diversissimae originis sint et nullo alio vinculo cohaereant quam quo olim bibliopega eas coniunxit, non solum magnitudine paginarum sed etiam versuum in unaquaque numero et tota specie extera tantopere concordarent, ut praeter membranas et litterarum ductus nihil different? Num haec omnia casui tribuemus? Immo si quid video res satis clara est nec tot verbis indigisset nisi huic errori Finsler alios maiores quasi fundamento imposuisset. Pars altera re vera vetustior est quam prior et tertia; quot annis neque ego diiudicare ausim neque ad rem facit; est autem codicis alicuius pars in initio sine dubio truncati, in fine non item¹. Has reliquias nescio quis librario tradidit ut expleret lacunam et nonnulla adderet. Quo negotio ille ita functus est ut XXVIII quaterniones praefigeret, IV in fine adderet. Ubi ad finem eius partis venit quam praemissurus erat, ζτ illud addidit ut bibliopegam moneret quo ordine folia conpingenda essent. Si vero hoc tibi scrupulum movet quod antea Finslero obieci, mire postremi epigrammatis et quaternionis finem in unum cadere, hoc non eodem modo ad me quo ad illum pertinet. Nam si librarius ab initio bene tenebat ad quem finem sibi pervenientum esset, facilius disponere potuit materiam, praesertim eam quae iam antea eodem modo disposita fuerat. Cum enim uterque scriba eundem versuum numerum in pagina perscriberet, vix fieri potuit quin quae iam denuo scriberentur totidem paginas occuparent quot antea in perdita illa parte². Sed non nego si forte non acutetigisset librarius finem, eum non fuisse vel omissurum aliquid vel additurum. Adiectum esse quidquam cum ne per se quidem verisimile sit eo refutatur, quod ep.

¹ Vetat tam numerus CL epigrammatum quo liber XIV constat quominus folia aliquot abscissa esse putas, quam postremi ternionis condicio (vide supra p. 14), quae clamat eum olim clausisse librum, librarium autem cum uno tantum insuper folio egeret hoc ternioni inseruisse.

² Quae suspicio egregie eo firmatur, quod Pauli Silentiarii ecphrasis et Gregorii eclogae, quas deperditae illi parti infuisse nemo demonstrare potest, tres occupant quaterniones (p. 1—48) anthologiae ipsius pars prior reliquos XXV. Perierant igitur initio codicis paginae CCCC.

541—562 litterarum initialium ordine anthologiae Philippi partem produnt¹, ergo unum tantum ep. 563 extra ordinem positum postea insertum esse potest. Multa autem omissa esse a librario aequre improbabile est; nam si superfuissent plura epigrammata quam una pagina caperet, folium unum alterumve inserere potuit. Contendo igitur, si has minutias missas facis, non esse cur librum Palatinum etiamsi ex duabus partibus diversae originis constet, tamen unum opus idque integrum esse negemus. Nam non casu coaluerunt particulae sed prima et ultima circumdatae sunt secundae ut quod temporis iniuria mutilatum erat explerent, simulque ut mihi videtur amplificarent.

Inveniuntur vero in codice haec:

Pauli Silentarii ecphrasis ecclesiae s. Sophiae . . . p.	1
S. Gregorii eclogae	" 41
Epigrammata christiana (Anth. Pal. I)	" 49
Christodori ecphrasis (A. P. II)	" 64
Epigrammata Cyzicena (A. P. III)	" 76
Promoëmia Meleagri Philippi Agathiae (A. P. IV)	" 81
Epigrammata amatorii argumenti (A. P. V)	" 87
Ep. dedicatoria (A. P. VI)	" 141
Ep. sepulcralia (A. P. VII)	" 207
Ep. s. Gregorii theologi (A. P. VIII)	" 326
Ep. demonstrativa (A. P. IX)	" 358
Ep. exhortativa (A. P. X)	" 489
Convivalia et irrigoria (A. P. XI)	" 507
Stratonis Musa puerilis (A. P. XII)	" 569
Ep. variis metris scripta (A. P. XIII)	" 608
Problemata arithmeticæ, aenigmata, oracula (A. P. XIV)	" 615
Iohannis Gazæi ecphrasis	" 644
Ep. varia et diversa, partim iam antea perscripta (A. P. XV)	" 665
Anacreontea	" 676
Gregorii theologi ep. VIII 85* iterum	" 692
Eiusdem gnomæ	" 692

¹ Cf. Jacobs Proleg. p. XLI, XLIII. Passow Opusculorum p. 176 sqq. Weigand Mus. Rhen. 1845 III p. 541 sqq.

Epigrammata varia (A. P. XV)	p. 694
Maxima pars ep. Gregorii iam antea perscriptorum (= A. P. VIII)	„ 696
Cometae carmen (A. P. XV 40)	„ 706
Denique in foliis postea additis leguntur ep. XI, quae sunt in hippodromo CP., a recentiore et rudi manu perscripta	„ 708

Inde a Gazaei descriptione ordo vix ullus appareat, non omni ex parte eius culpa qui codicem perscripsit; nam quaternionis postremi folia non quo debuerunt ordine compacta sunt. Quod viros doctos qui excusserunt codicem nondum animadvertisse miror, cum vel tabulas illas quae arte photographa totam partem Parisinam repraesentant intuenti sese offerat. Post Anacreonta enim folio recto p. 692 (39^r)¹ statim legitur, ut dixi, iterum ep. VIII 85² cum hoc lemmate: $\text{⊗ τοῦ θεολόγου ⊗ εἰς τὸν αὐτὸν καισάριον τὸν ἔκυτοῦ ἀδελφόν.$ Verba εἰς τὸν αὐτὸν probant aliud eisdem argumenti ep. antecessisse, aut Anacreonta in Caesarium composita esse putanda essent. Secuntur cum hac inscriptione

Γνῶμαι Γρηγορίου δίστιχος εὐεπίν
έσθιλὸν ἄθυρμα νέοις καὶ χάρις ἔξοδην

gnomae Gregorii². Eodem loco in margine legitur προεγρά-
ψησαν ἀπαντα εἰς τὰ λοιπὰ ἐπιγράμματα εἰς τὸ τέλος τῶν ἐπιτυμ-
βίων, quod in gnomas non cadit, nam nusquam alibi leguntur;
ad unum illud epigramma sepulcrale quam male applicetur
vides. Gnomae exeunt in fine p. 693 (39^r), sequentis paginae
initio legitur Ἀναστασίου τοῦ τραχιλοῦ εἰς τὴν σταύρωσιν (XV 28)
sed eo modo scriptum ut versus novem priores postea additos
esse unicuique intuenti appareat: exarati enim sunt in mar-
gine superiore alias vacuo, et bini hexametri unum versum
implent, excepto nono qui ut solet totum versum occupat; sed
hunc quoque postea adiectum esse ductus docent. Num is
qui codicem scripsit ipse hos versus postea addiderit equidem
ex tabulis dignoscere non potui: scripturae genus non adver-

¹ Numeros hos novicios addo ne ulla maneat dubitatio.

² Litterae initiales gnomarum duos istos versus efficiunt. Editae
sunt novissime ab Ernesto Dronke Gregorii Nazianzeni carminum
selectorum p. 118.

saturum puto. Tunc secuntur ut in exemplis impressis ep. XV 29 — 39* quae excipiunt cum lemmate τοῦ θεολόγου εἰς ἔχυτὸν ἐκ τῶν ἐπιτυμβίων αὐτοῦ ἐπιγραμμάτων epigramma iam supra exhibita VIII 80. 83. 84. 76. 2. 5 — 10. 10*. 11. 163. 161. 162. 164. 165. 156. 157. 158. 105 — 127. 131 — 148. 150 — 155. 85 (quod est εἰς καισάριον τὸν ἔχυτοῦ ἀδελφόν). Desinunt haec ep. p. 705 folio verso 45; p. 706 (46^r) legitur Cometae carmen XV 40 cum versibus hoc ipsum nec non poetam illudentibus, quod hanc paginam et duas partes sequentis (707, 46^v) implet. In qua quod restat spatii versus novem priores ep. Anastasii balbi (XV 28) occupant, qui superiore loco (p. 644, 40^r) postea tantum additi erant. Iam puto subolet tibi quid rei sit. Foliis externis huius quaternionis haec leguntur

Fol. 39^r (p. 692)

ep. VIII 85* εἰς τὸν αὐτὸν καισάριον
gnomae Gregorii

Fol. 39^v (p. 693)

gnomarum Gregorii finis

Fol. 46^r (p. 706) ep. Cometae XV 40

Fol. 46^v (p. 707) eiusdem ep. finis et ep. Anastasii XV 28 v. 1 — 9.

His autem foliis detractis quod restat huius quaternionis incipit (fol. 40^r p. 694) ab ep. Anastasii balbi (XV 28) olim novem versibus prioribus carente, desinit (fol. 45^v p. 705) in epigramma Gregorii VIII 85 εἰς καισάριον τὸν ἔχυτοῦ ἀδελφόν. Iam invertas folia externa ita ut p. 706/7 = fol. 46 antecedant, sequantur 692/93 = fol. 39 et omnia bene se habent. Post Anacreonta sic legitur Cometae epigramma XV 40 p. 706 (46^r) cuius finis habetur p. 707 (46^v) unia cum initio ep. Anastasii XV 28; excipit hoc p. 694 (40^r) eiusdem ep. finis et ep. XV 29 — 39*. Secuntur Gregorii epitymbia eo ordine quo modo dixi, VIII 80 — VIII 155, VIII 85 (εἰς καισάριον τὸν ἔχυτοῦ ἀδελφόν) ad quod optime se applicat p. 692 (39^r) eiusdem VIII 85* (εἰς τὸν αὐτὸν καισάριον). Postremum locum tenent gnomae hanc et sequentem paginam occupantes.

Hic erat ordo quem librarius confidere voluit, bibliopega turbavit, maximo cum incommodo ep. Anastasii, quod inde duas in partes diremptum est. Quod vulnus nescio quis sanare studuit additis priore loco illis versibus quos deesse videbat. Quod mihi haud ita multo post codicem scriptum factum esse videtur, nam is qui lacunam illam explevit non solum v. 2 recte addidit ἔχων p. 707 omissum, quod coniectura quispiam factum esse credit, sed etiam bene sciebat Ἀναστασίου τοῦ τραχιοῦ nomen, cum p. 707 tantum Ἀναστασίου legatur.

Sed praeter hoc nullum turbati ordinis vestigium deprehenditur. Eo magis mirum videtur, indicem illum a prima manu scriptum toti codici praemissum¹ multis ex partibus non conspirare cum codice. Est enim hic²:

+	+	+
+ τάδε ἔνεστιν . ἐν τῇδε τῇ βίβλῳ τῶν ἐπ . . . μυάτων ✕		1
α . . . NONNOT ποιητοῦ πανοπολῆ ἔκφρασις τοῦ κατὰ ιωάννην		
ἀγίου εὐαγγελίου ✕ B παύλου ποιητοῦ σελεῖν		
B ύιου κύρου ἔκφρασις εἰς τὴν μεγάλην ἔκκλησιαν		
Γ ἡτ . . τὴν ἀγίαν σοφίαν ✕ : Γ συλλογὴ ἐπιγραμμάτων		5
χριστιανικῶν . εἰς τε ναοὺς καὶ εἰκόνας καὶ εἰς διάφορα		
Δ ἀναθήματα ✕ Δ χριστοδώρου ποιητοῦ θηβαίου ἔκφραστης		
τῶν ἀγαλμάτων. τῶν εἰς τὸ δημόγονον τοῦ ἐπικαλου-		
ε	μένου ζεύξιππος	
ε ✕ μελεάγρου ποιητοῦ παλαιιστίνου στέφανος διαφόρων ἐπι-		
	γραμμάτων : ~	

v. 1. manus saec. XVI vocibus postremis superscripsit τῶν ἐπιγραμμάτων. — v. 5. primae vocis hae tantum litterae apparent ἡτ unde Hase ἡτε effecit; puto ἡτοι scriptum fuisse. — v. 7. ἔκφραστης cod. per compendium (σ). — v. 8. cod. δημ^ο, quod manus saeculi XVI in δημ^{στ} mutavit. — ζεύξιππος cod. per compendium (π) edd. ζεύξιππου.

¹ Quattuor folia praemissa sunt codici sic cohaerentia 1 2 3 4.

In folio 1 recto legitur index, 1 versum a manu rudi conscriptum est ut etiam 2 et 3 rectum; 3 versum vacat; 4 iterum plenum est. Fortasse igitur antiquitus sic erant ordinata 1 4 2 3.

² Ipse nuper descripsi ex codice, ut etiam alia omnia quaecunque profero, Heidelbergae in ipsa bibliotheca Palatina, humanissime

10 S ✪ φιλίππου ποιητοῦ θεσσαλονικέως στέφανος δύοις
φόρων ἐπιγρ

ζ ✪ ἀγαθίου σχολαστικοῦ ἀσιανοῦ μυρηνάριου συλλογῆς νέων ἐπι
γραμμάτων: ἐκτεθέντ̄ ἐν κωνσταντ̄ πολ̄ πρὸς θεόδωρον δεκ

15 ✪ ἔστι δὲ ἡ τάξις τῶν ἐπιγραμμάτων ἥγουν διαιρεσις οὔτως: ~

α' . . . πρώτη μὲν: ἡ τῶν χριστιανῶν ✪ B δευτέρα δὲ ἡ τὰ χρι

15 B ✪ στοδώρου περιέχουσα. τοῦ θηβαίου ✪ Γ τρίτη δὲ: ἀρχὴν

Γ ✪ μὲν ἔχουσα τὴν τῶν ἑρωτικῶν ἐπιγραμμάτων ύπόθεσιν ✪

Δ ✪ ἡ τῶν ἀναθεματικῶν: ✪ επέμπτη ἡ τῶν ἐπιτυμβίων ✪

S ✪ ἡ τῶν ἐπιδεικτικῶν ✪ ζ ἐρδόμη ἡ τῶν προτρεπτικῶν

η' ✪ ἡ τῶν σκοπτικῶν ✪ θ' ἡ τῶν στράτωνος τοῦ σαρδικανοῦ ✪

20 ι' ✪ διαφόρων μέτρων διάφορα ἐπιγράμματα ✪ ια ἀριθμητικὰ

ια καὶ γρήγορα σύμμικτα ✪ * iB ιώαννου γραμματικοῦ

iB γάζης ἔκφρασις τοῦ κοσμικοῦ πίνακος τοῦ ἐν τῷ χειμερίῳ
λουτρῶν ✪

ιΓ σύριγχος θεοκρίτου καὶ πτέρυγες σιμμίου. δοσιάδα βωμός

ιδ βησαντίνου ωόν· καὶ πέλεκυς ✪ ιδ ἀνακρέοντος τηίου

25 ιε συμποσιακά. ήμιάμβια καὶ ἀνακρέοντια: καὶ τρίμετρα ✪

τοῦ ἀγίου γρηγορίου τοῦ θεολόγου ἐκ τῶν ἐπῶν ἐλλογαι

διάφοροι: ἐν ὃς καὶ τὰ ἀρέ ταὶ ἀναστασίου καὶ ἰγνῶ καὶ

κωνσταντ

καὶ θεοφάνους κεῖνται ἐπιγράμματα ✪ ~

v. 14. ἡ ante τὰ om. Jacobs. — v. 22. ἐν τῷ significari videtur
sigla εὐ. — v. 27. ὃς (pro οἷς) per rasuram ex αἷς factum.

Discrepantias inter indicem et codicem intercedentes
iam Jacobs Proleg. p. LXVI enumeravit: Nonni ecphrasin

commodantibus illius curatoribus. Versuum numerum et dispositionem
servandam duxi; accentus et spiritus aut correxi aut addidi; compendia
non retinui nisi inusitata et dubia. — Primus edidit indicem Brunck
(Analectorum I p. IX) ex pessimo apographo, tum Jacobs Proleg.
p. LXV iterumque accuratius ed. min. III p. 3, novissime ex Hasii
apographo Dübner I p. XIII.

omnino deesse, cuius locum si placet quattuor¹ illa folia a rudi manu epigrammatis conscripta tenere dixeris, Pauli Silentiarii ecphrasin, quae nunc primo loco legitur, subsequi non epigrammata christiana sed eclogas s. Gregorii theologi; tum recte haberi christiana et Christodorum, epigrammata Cyzicena iterum in indice non esse nominata; pro Coronis Meleagri Philippique et Cyclo Agathiae quos index promittere videretur prooemia tantum inveniri, et ne epigrammatum quidem sectio-nes omnino conspirare cum indice. Unde recte sibi colligere videbatur (Proleg. p. LXVIII) 'indicem ex antiquiore codice sine mutatione descriptum, rerum autem in codice ordinem ab eo, qui Vaticanum librum scripserit passim immutatum esse,' et re vera subesse hic vetustioris indicis reliquias nemo inficias ibit; sed tamen difficultas mihi haud parva remanere videtur. Quid quod bis recensentur et Christodori carmen et epigrammata christiana? Et quid tandem sibi volunt Μελεάγρου στέφανος διαφόρων ἐπιγραμμάτων Φιλίππου στέφανος ὄμοιώς διαφόρων ἐπιγραμμάτων, Ἀγαθίου κύκλος, quos integros unquam huic collectioni infuisse ut credat quis animum induxerit? Nam pro anthologiarum prooemiis totas anthologias nominari vereor ne nulli Jacobs persuasurus sit². Priorem quidem scrupulum removeres si duplēx extare indicem dices, quod sine dubio aliquid habet veritatis et iam ab Henrichseno (p. 140) observatum est; sed alterum neque hac neque alia cogitatione eiusmodi removere potes. Neque illud recte Henrichsen posuit, neutrum indicem verum esse, alterum tamen paulo integriorem. Quid enim? Minime ex aequo stant duo hi indices. Prior enumerat quae in codice legantur ($\tau\acute{α}\delta\epsilon\ \varepsilon\nu\varepsilon\sigma\tau\iota\omega\ \dot{\epsilon}\nu\ \tau\bar{\eta}\delta\epsilon\ \tau\bar{\eta}\ \beta\acute{e}\beta\lambda\omega$) alter ordinem ep. tantum refert ($\varepsilon\sigma\tau\iota\ \delta\dot{\epsilon}\ \dot{\eta}\ \tau\acute{a}\xi\iota\ \tau\bar{\eta}\ \dot{\epsilon}\pi.\ \dot{\eta}\gamma\omega\ \dot{\delta}\iota\alpha\dot{\iota}\rho\dot{\epsilon}\sigma\iota\ \dot{\omega}\dot{\tau}\omega\dot{\iota}\omega$). Hanc $\tau\acute{a}\xi\iota$ primo cum codice nostro comparemus. Suo loco leguntur Christiana et Christodorus, omissa sunt Cyzicena et prooemia. Tum legitur $\tau\acute{a}\iota\tau\eta\ \delta\dot{\epsilon}\ \dot{\alpha}\dot{\rho}\chi\dot{\eta}\nu\ \mu\dot{\epsilon}\nu\ \dot{\varepsilon}\dot{\chi}\dot{\eta}\omega\sigma\alpha\ \tau\bar{\eta}\nu\ \tau\bar{\eta}\omega$

¹ De tribus foliis loquitur Jacobs, sed ut antea dixi sunt quattuor quorum in prima pagina index scriptus est.

² Inscribuntur in cod. prooemia στέφανος Μελεάγρου sim. sed non διαφόρων ἐπιγραμμάτων στέφανος.

έρωτικῶν ἐπ. ὑπόθεσιν. Quid igitur? Initiumne faciunt amatoria? Haec pristinam anthologiae formam redolent, prioribus tribus libris carentem. Nam demonstrari potest primitus Cephalae anthologiam non constitisse nisi libris Anth. Pal. IV — XII, qua de re alio loco dicturus sum: interim hac cognitione utemur ad solvendas has difficultates. Veteri et pristino indici igitur praemissa sunt capita illa, simulque numeri immutati. Recte deinde omnia procedunt si modo librum VIII sepulcraliū partem esse putas, usque ad ψ' (v. 21). Sed quod illic omititur series illa XXV ep. inter Iohannem Gazaeum et technopaegnia interiectorum non aegre feres. Optime igitur hic se habet index; nihil omissum praeter librum Anth. Pal. III et IV. Quid autem si has non singulares libros putavit qui indicem composuit, si ep. Cyzicena libro II adhaerere voluit, prooemia non recensuit ut par est? Hic igitur est index bonus atque probus totius codicis exceptis Paulo Silentario et Gregorio. At quis inter epigrammata ($\eta\tauάξις\tauῶν\éπι-\gammaραμμάτων$) recenseret Christodorum, Iohannem Gazaeum, Anacreontea? In vere Cephalanam tantum anthologiam (librorum Anth. Pal. IV — XII) verba illa quadrant; hic scripserat: ἔστι δὲ ἡ τάξις τῶν ἐπιγραμμάτων ἥγουν δικίρεσις οὕτως. α' ἀρχὴν μελέ χουσα τὴν τῶν ἐρωτικῶν ἐπ. ὑπόθεσιν, β' ἡ τῶν ἀναθηματικῶν et deinceps usque ad Stratonis Musam puerilem. Postea eius anthologiae adhaeserunt alia, quae librarius utut potuit in indicem rettulit numeris mutatis. Non uno autem tempore amplificatam esse anthologiam cum per se probabile sit, codicis condicione demonstratur. Vetustior illa pars (de qua cf. supra p. 17) continet IX 543 — XIV; iam igitur haec erat anthologia in fine duobus libris aucta, num in initio item nescimus¹. Expleta est ab altero librario lacuna, simulque ex archetypo additi libri I — III: nam si non illo loco legisset in fine codicis addidisset ut librum XV cum Gazaeo et Anacreonteis. De Nonno nunc deperdito Paulo Silentario Gregorio difficilior est quaestio, sed haec librarius ipse ab ep. separasse videtur cum in $\tauάξιν$ illam non reciperet. Librum XV

¹ Sed si tecum reputas quae p. 17, 2 dixi veri simillimum tibi videbitur antiquitus in nostro exemplari additos fuisse tres illos libros.

autem librarius non ex exemplo illo depropmsisse videtur, tanta est eius ἀταξία.

Sed ad priorem indicis nostri partem nos vertamus. γ' et δ' (v. 5) huic eodem tempore quo inferiori (v. 14) α' et β' addita sunt, quo eodem etiam Nonnum et Silentiarium intulit librarius. Haec omnia si delemus remanet quod olim Cephalas scripserat

Τάδε ἔνεστιν ἐν τῇδε τῇ βίβλῳ τῶν ἐπιγραμμάτων
α' Μελεάγρου ποιητοῦ Παλαιιστίνου στέφανος διαφόρων
ἐπιγραμμάτων

β' Φιλίππου ποιητοῦ Θεσσαλωνικέως στέφανος ὄμοίως δια-
φόρων ἐπιγραμμάτων

γ' Ἀγαθίου σχολαστικοῦ Ἀσιανοῦ Μυρινάλου συλλογὴ νέων
ἐπιγραμμάτων ἔκτειντων ἐν Κωνσταντινουπόλει πρὸς Θεόδωρον
Δεκουρίωνα. Iam apparent non ut Brunckio et Jacobsio visum est
pro prooemiis totas anthologias nominari, sed Cephala bene et
apposite unde suam anthologiam hausisset prima pagina indi-
casse; tum τάξιν epigrammatum enarravit. Similia saepius in
compilationibus occurrere non nescis, ut in scholiis Homeri
Venetis, Suida, Hesychio.

Sed alia statim subnascitur quaestio de fontibus ex
quibus Cephalas hauserit, vel si hoc mavis de cognatione
variarum quae hodie exstant anthologiarum. Miratur fortasse
aliquis non solum has quaestiones mihi pro una esse sed
etiam investigare me velle subsidia a Cephala olim adhibita
cum ipse aperte fateatur tres se illas anthologias usurpasse
unde sua delibaret. Sed calidius mihi agere videtur qui verba
illa ita accipit quasi Cephalas praeter tria opera nihil adhi-
buerit, neque difficile est eum refutare¹. Ne is quidem recte
mihi iudicare videtur qui ipsis his libris usum esse Cephalam
statuit, licet ipse profiteri videatur. Non tam aperta res est
quam olim Jacobsio visa est et nunc etiam plerisque videtur.
Fontes, unde manaverint epigrammatum quasi lacus, primarios
scimus, minores nonnullos coniectura adsequimur, innume-
rabilles alias parvos extra omnem suspicionis aleam positos

¹ Inspicias modo quae Weigand de fontibus anthol. compositus
Mus. Rhen. 1845 III p. 552 sq.

ignoramus. Fuerunt ut dixi quasi fontes quidam Meleagri et Philippi Coronae, qui ubi primum coniuncti, quod maturo fortasse tempore factum est, rivum effecerunt sat magnum, hic illic alium sive fonticulum sive guttam receperunt, multa perdidere, plurima turbida reddidere. Supervenit non iam fons sed alter rivus Byzantinae aetatis collectio, Agathiae Cyclus, iterumque omnia miscebantur et turbabantur neque non augebantur aut minuebantur utut fors tuit. Ex hoc rivo minime limpido hauserunt florilegiorum conditores, praeter ceteros Cephalas largum potum ministrans omnibus, sed neque dilectu habito diligentiore neque dispositione facta accurata, ita ut non solum turbata multa manerent, sed etiam quod gratissimum nobis evenit nonnulla pristinorum fontium vestigia servarentur. Quae si Cephalas ipse fontes illos adire potuisset multo plura superesse deberent. Quod ex parte iam Passow (Opusculorum p. 180) et Weigand (Mus. Rhen. 1845 III p. 168) intellexerunt, cum propter vestigiorum parvum numerum ipsam Meleagri anthologiam a Cephala adhibitam esse negarent. Sed mihi ut dixi nullam earum quas nominat anthologiarum adhibuisse videtur¹. Scio hoc ab initio vix uni alterive placitum esse, sed fortasse rationibus vincere potero. Interim gaudeo mecum facere quodammodo Georgium Kaibel qui libelli De monumentorum aliquot graecorum carminibus p. 17 'Epigrammata' inquit 'quae Cephalas nobis tradidit cum ex compluribus anthologiis diversissima ratione compositis paulatim in unum congesta sint corpus, hic totiens mutatus ordo nihil tristiore clade affixit quam lemmata' et Hermae 1876 X p. 1 'Constat non unum extitisse Cephalam qui in colligendis epigrammatiis laudabilem operam collocaret, sed permultos scimus illo et antiquiores et recentiores ex fontibus integrioribus uberioribusque ingentes eorum poematorum copias adauxisse.' Neque aliud Schneidewin sibi persuasisse videtur cum Progymnasmatum p. 4 scribat: 'fuerunt Byzantii et ante Cephalam et post eum qui pro diversitate studiorum ex immenso acervo epigrammaton quem industria superiorum accumulaverat, alii alia excerpterent.' Quod bene

¹ Quamquam Agathiae saltem sylloge ei uti fortasse licuit; reliquas tum non iam extitisse probabile.

omnes tenere vellem! Nam cum unum Cephalam eumque primum consilium amplioris anthologiae condendae cepisse crederent, p^rae hoc opere unico ut putabant reliqua spernebant, imprimis Planudem misellum illum monachum, in quem quo quis plura convicia cumulabat eo melius meritus esse sibi videbatur de litteris. Sed eius lectio*n*es non nunquam optimas esse omnes concedent cum praesertim Finsler (p. 47) luculentissime demonstrarit, cui meliore quodam Cephalae codice usus esse videbatur, simili ei quem Michaelis chartophylacis manu exaratum corrector codicis Palatini adhibuit. Quod num omni ex parte recte disputatum sit nunc non curo, hoc sufficit integriorem lectionem ab illo saepe ministrari. Vel hinc concludere deberemus eum non Cephalanam tantum anthologiam in artius redigere voluisse et excerptisse, praesertim cum tot ep. p^raebeat a Cephala neglecta. Quae unde tandem sumpsit? Jacobs cum nullam anthologiam adgnosceret praeter Cephalanam, ex codice integriore hausta esse putavit. Mihi si credis ex epigrammatum vasta illa collectione haec profluxerunt, unde non solum Cephalas sed alii quoque sua mutuati sunt. Talem enim collectionem exstitisse olim cum per se probabile sit et condicione anthologiae paene liqueat (superfutura enim essent plura singularum collectionum vestigia si ex his suam consuisset coronam Cephalas) tum duabus de causis certissimum est. Quarum una petenda est ex ep. in libro Palatino bis exaratis. Illud quidem non negandum est, potuisse Cephalae negligenter fieri ut carmen duobus locis irreperet in collectionem; sed quomodo tandem factum est ut nusquam fere plane concordent quae diversis locis leguntur¹, ut semper fere aliqua lectionis diversitas insit? Nonne hoc aperte demonstrat diversis locis tradita fuisse antiquitus haec carmina, ita ut varios et diversos fortunae casus subirent? Quod nisi in anthologia (sive una sive pluribus) qualis nostra est fieri non potuit: in Meleagri certe et Philippi aut Agathiae corona unum carmen bis legi nullo modo potuit. Multo

¹ Diligenter composita haec epigrammata invenies apud Finslerum p. 83 sq. qui errore suo de codicis universa condicione commotus tripartito de his egit. Addenda sunt XI 118. 119 post XI 332 et IX 437 post IX 432 repetita.

aliter Finsler p. 83 sq. et p. 95 rem accepit. Putat Cephalam haec carmina consilio bis inseruisse anthologiae, sed ne eadem repeteret paululum immutata. Quam sententiam nemini acceptum iri spero. Quis enim credit Cephalam si mutare voluisse ep. aliquod facturum fuisse unius vocis vel syllabae mutationem, non plus et ne hoc quidem semper? Cf. e. g. ep. VI 106 quod iterum legitur post ep. VI 255, utroque loco seriei ep. immissum ex Philippi corona petitorum¹, itaque neutro loco postea interpolatum. Hic igitur si usquam Cephalas adgnoscendus est genuinus. Quid autem discrepantiae invenimus?

Legitur loco priore:

v. I. τοι

ἀγρειάδος

3. τὰν

4. χειρὸς

5. βουνεῖτα, ει in ras.

6. εὐάγρει

posteriore:

τοι

ἀγριάδος

τα vel ται, sed corr. τὰν

χερὸς

βουνεῖτα

εὐάγρηι.

Nil praeter errores librariorum minusculos neque ad sensum facientes! Et similia plerisque locis invenies. Tacebimus igitur de Cephalia harum mutationum auctore. Quid porro? Ep. XI 118 et 119 una repetuntur post XI 332, IX 121 et 122 post IX 339 ita ut appareat ea primitus coniuncta fuisse. An Cephalam etiam plura simul repetere voluisse putas ut eo facilius lenocinium detegeretur? Accedit quod priore loco IX 118 sine lemmate est, altero Callicteris, iterumque priore adespoton IX 122 altero Eueni². An hoc quoque Cephalanum?

Sed haec pristinae anthologiae vestigia levia sunt; certiora proferri possunt. Schneidewin e codicibus Parisino et Florentino florilegium aliquod edidit³ quod Cephalam saeculo ante-

¹ Cf. Weigand Rhen. Mus. 1845 III p. 541.

² Inde quod priore loco versus alter omissus est praeter litteras τεττιγ, quod nonnulla discrepant, nihil colligere licet. Ceterum non sine momento est ep. IX 123 post IX 353 iteratum inter ep. Leonidae Alexandrini cuius est.

³ Progymnasmata in anthologiam graecam, Gottingae 1855.

cessisse putabat (p. 5) cum Thessalus iste quisquis fuit qui ad Euphemium id misit Leone sapiente imp. se vixisse ipse dicat (886—912). Sed eodem fere tempore Cephalam suam collectionem composuisse supra p. 13 dixi. A qua tamen haec nullo pacto pendet, nam non solum lectionibus egregiis nonnullis insignis est, quae coniectura a nullo inveniri potuerunt, sed etiam habet ep. a Cephalae aliena ut Leonis philosophi carmen de aquae frigidae usu (Schneidewin p. 7 Boissonade Anecd. gr. II p. 469, Piccolos *Supplément à l'anthologie grecque* p. 209) Palladae ep. μῆνιν ἀειδες (Jacobs Appendicis ep. 1, Boissonade ad Philostrati Heroica p. 638) Procli ep. Πηγίνου μελάθροισι (Jacobs Appendicis ep. 69, Brunck Analectorum II p. 446 Nr. 5) Simonidis δῆμος Ἀθηναῖων (Jacobs Appendicis ep. 77, Brunck Analectorum I p. 142 Nr. 87, Bergk PLG³ III p. 1187 Nr. 186) ep. adespoton εἰπὲ ποῦ ἡ χθὲς (Boissonade Anecd. gr. II p. 471, Piccolos *Supplément* p. 195, Schneidewin p. 31) Anth. Pal. XIV 71. 72. 74, XV 51. Anth. Planudeae 11. 12. 13. 129. 135. 210. 213. 227. 230. 318. 319, praeterea duo fragmenta Euripidea. Quamquam igitur haec anthologia a Cephalae nullo pacto pendere potest, tamen multis locis observatur idem ep. ordo, quod quo alio modo explicari possit quam si utrumque collectorem eadem anthologia maiore usum esse statuamus non video. Loci autem quibus hanc cognitionem adgnoscere licet sunt hi¹: 1. 2 = Anth. Pal. IX 52. 53. — 7. 8 = A. P. IX 68. 69. — 31. 30. 32. 33. 34 = A. P. IX 823. 824. 825. 826. 827. — 40. 41. 39 = A. P. XI 106. 107. 108. — 46. 47 = A. P. IX 50. 51. — 49. 50. 51 = A. P. VI 2. 4. 5. — 52. 53 = A. P. VII 268. 269. — 62. 63 = A. P. IX 128. 129. Quorum locorum numerum sat magnum si cum parvo circuitu anthologiae illius Euphemianae confers (ultra numerum LXXXII ep. non procedit) eo certius puto tibi videbitur quod inde effeci.

Aliam syllogen ep. eamque magni pretii iam antea e codice Parisino ediderat Cramer Anecdoton Parisinorum vol. IV inde a p. 366 (nam quae praecedunt huc non pertinent) quam Finsler p. 97 e Cephalae haustam esse contendit

¹ Partem iam Schneidewin p. 10 indicavit.

sine causis idoneis. Optime iam refutavit hanc opinionem Carolus Dilthey (Epigrammata graeca in muris picta duo, Gottingae 1878 p. 19, 3) non solum permultis illis ep. adlatis quae apud Cephalam desiderantur, sed etiam lectionibus melioribus. Insunt autem florilegio ep. haec¹:

p. 366: IX 360. 468. τοσοῦτος ὁ πλοῦς². Ἡρη παμβασίλεια.

Τυνδαρέη.

p. 367: IX 573. 564. Planud. 159. 161. 182.

p. 368: Περσεὺς. Plan. 168. 201. 207. 132.

* p. 369: 89. 57. 223. 109. 74.

p. 370: IX 751. 752. 680. 768. 333. 637.

p. 371: 639. 608. 610 v. 1 et 612 v. 2. 607. 616. 635. 623. 626.

p. 372: 666. 667. 669. οὗτος Ἐρως. IX 363

p. 373: Plan. 13. IX 721. ἡ βοῦς³. X 1.

p. 374: 26. 27. 40. 42. 52. 64.

p. 375: 58. 68. 72. 73. 74. 76. 84.

p. 376: 117. εὐέδυμοις. XI 47. 48.

p. 377: 50. 227. 157. 255. 273. 299. 301.

p. 378: 338. 349. 390. IX 527. XIV 17. 71. Plan. 292.

p. 379: 96. 99. 197. 200.

p. 380: 203. 209. 213. 62. Odarium eroticum Constantini

Siculi (Matranga Anecd. gr. p. 693, Bergk PLG³ III

p. 1087) quod idem implet paginas sequentes.

p. 383: εἰ μὲν δεῖ. XI 51.

p. 384: V 78. XII 18. 19. 21. κοῦρε τί. XII 118.

p. 385: ἡράσθη κίτυος. XII 29⁴. 58. εἰπεν Ἐρως. XII 235.

237 v. 3, 2, 4. 241. αύτοῦ μοι.

p. 386: τηρῷ σου. ὑπνε τί. σκέψῃ. ὑπνώσις. οἵος ἀποστάζει.

¹ Enumeranda sunt ep. singula quia Cramer eorum sedes accusatiū non indicavit, index autem quem Finsler p. 97 protulit plenus non est. Paginas addo Anecdoton, numeros Anth. Pal. cui si quod ep. deest primas voces posui.

² Hos versus editurus erat Leo Allatius symmicton libro VII; vide Fabricii Bibl. gr. XIV p. 15. Exstare igitur videntur in codice quodam Romano.

³ Hoc ep. editores Parisini post IX 721 inseruerunt praepostero iudicio, cum alias hanc syllogen non respicerent.

⁴ Cohæret cum hoc ep. aliud XI 53: sic bonum evadit carmen.

p. 387: Ψευδές μυθίζουσι. XII 185. 209. 214. 223. 224.

p. 388: 196. 50. νῦν ὁ καλὸς.

Hunc indicem percurrenti obversabuntur loci quibus idem ordo apparet qui in Cephalae anthologia p. 370 (IX 751. 752) p. 371¹ (IX 608. 610. 612. 607) p. 372 (IX 666. 667. 669) p. 374 (X 26. 27 et 40. 42) p. 375 (X 72. 73. 74. 76) p. 376 (XI 47. 48. 50) p. 377 (XI 299. 301) p. 384 (XII 18. 19. 21) p. 385 (XII 235. 237) p. 387 (XII 223. 224). Iterum igitur invenimus duarum anthologiarum fontem communem. Quod igitur inter Parisinam syllogen et Cephalam intercedere vinculum voluit Finsler p. 97 adest re vera, sed aliter atque ille putabat. Unum addam, syllogen Parisinam non temere coacervatam esse. Primo enim loco sunt ep. demonstrativa (usque ad p. 373 X 1) secuntur protreptica (usque ad p. 376 εὐόδμοις) tum convivalia et irrisoria (usque ad p. 378 IX 527) tum interiectis oraculis tribus leguntur nonnulla ep. in statuas et odarium eroticum (usque ad p. 383) quae excipiunt epigrammata ad Musam puerilem pertinentia². Unde aliquis suspectetur ne librorum quidem distinctionem et ep. discriptionem omni ex parte Cephalae deberi. Sed demonstrari hoc nequit, redeo igitur illuc.

Habemus vestigia luculenta vastae cuiusdam ep. collectionis unde et Cephalas et alii sua depprompserunt, alias alia, saepe ordinem archetypi servantes, neque igitur (ut consequens est) valde anxii de bona dispositione. Quid, si hanc eandem anthologiam compilaverit Maximus Planudes? Nonne omnes quaestiones de lectionibus ab eo servatis interdum melioribus, de ep. tot ab illo uno receptis, solvi censes, et melius solvi quam si cum Jacobsio et Finslero tot carminum apud Cephalam interitum librariis obicimus? Neque obstat quod Planu-

¹ Versui primo ep. 610 adhaeret versus alter ep. 612 unde colligere licet olim coniuncta fuisse si non tria illa 610—612 at saltem 610 et 612; postea librarii oculi aberrarunt decepti simili versuum exitu ἔγειραι δέ τις ὀδωδηγός a priore ad alterum.

² Vel hac de causa errasse putandus est Piccolos (*Supplément* p. 164) ep. αῖος ἀποστάζει (p. 386) in feminam scriptum esse ratus. V. 4 igitur scribendum videtur esse γλωστόι ἐρυθράτοι reliquis illius emanationibus receptis.

des persaepe eundem ordinem modo paucorum modo plurium ep. præbet quem Cephalas¹, talia etiam in reliquis florilegiis vidimus eisque tanto minoribus. Hoc cum mecum reputarem spes me invasit fortasse inveniri posse apud Planudem veterum

¹ Innumerabilia exempla proferri possunt ep. binorum vel ternorum in utraque anthologia coniunctorum. Dabo longiorum ordinum exempla. Qua in re adhibenda sunt exempla anthologiae Planudeae ante Henricum Stephanum impressa, quoniam hic suo arbitratu ordinem mutavit (Jacobs Proleg. p. CXIV). Mihi tantum Iohannis Brodaeii editio præsto erat quae Aldinam primam repraesentare dicitur (Jacobs Proleg. p. CVIII). Sunt igitur ordines hi:

- A. P. X 1. 2. 4—7 = Plan. I εἰς ναυτιλίαν 4—9.
- A. P. IX 30—33. 35. 34. 36 = Plan. I εἰς νῆσος 1—5. 9. 10.
- A. P. XI 75. 77—79. 82—86 = Plan. II εἰς ἀγωνιστὰς 1—9.
- A. P. XI 159. 160. 164. 161—163 = Plan. II εἰς ἀστρολόγους 1—6.
- A. P. XI 67—70. 72. 74 = Plan. II εἰς γραϊάς 1—6.
- A. P. XI 196. 197. 203. 198—201 = Plan. II εἰς δυσειδεῖς 2—8.
- A. P. XI 112—126 = Plan. II εἰς λατρούς 1—15.
- A. P. XI 186—189 = Plan. II εἰς κιθαρῳδούς 1—4.
- A. P. XI 174—179. 183. 184. 315. 182. 181 = Plan. II εἰς κλέπτας I—II.
- A. P. XI 88. 90—95. 99. 100. 102—107. 110. III = Plan. εἰς λεπτούς 1—16.
- A. P. XI 226—232. 235. 237. 238 = Plan. II εἰς πανηρούς 1—10.
- A. P. XI 141. 143—148. 150. 152 = Plan. II εἰς ἔγιτορας 1—9.
- A. P. XI 54—64 = Plan. II συμποτικὰ ἀστείαματα 19—29.
- A. P. XI 165. 166. 168. 167. 169—173 = Plan. II εἰς φειδωλούς 1—9.
- A. P. XI 153—158 = Plan. II εἰς φιλοσόφους 1—6 (qua in re notandum quod 157 falso a Planude hic positum est, in rhetorem cum scriptum sit non in philosophum).
- A. P. VII 245—251. 253. 254. 255. 257. 258. 256. 259 = Plan. III, εἰς ἀνδρεῖους 16—29.
- A. P. VII 356—360 = Plan. III εἰς ἄνδρας οὐκ ἐπισήμους 7—11.
- A. P. VII 218—224 = Plan. III εἰς γυναικας 7—13.
- A. P. VII 141—143. 145—152 = Plan. III εἰς γῆρας 3—13.
- A. P. VII 263—273. 275. 279. 280. 288—290. 293—295 = Plan. III εἰς ναυγγήσαντας 1—20.
- A. P. VII 1—10 = Plan. εἰς ποιητὰς 1—10 (Ep. 2* quod in margine superiore codici Pal. appictum est a manu correctoris cum apud Planudem desideretur, concludere licet ab hoc loco alienum fuisse antiquitus).
- A. P. VII 23—30. 32. 33 = Plan. III εἰς ποιητὰς 34—44.

illarum coronarum κατὰ στοιχεῖον dispositarum a Meleagro, Philippo, etiam tertio illo quem Diogenianum esse volunt (cf Passow *Verm. Schriften* p. 197 = Annalis philol. 1827 III, 2 p. 62. Weigand Mus. Rhen. 1845 III p. 552) vestigia qualia in Palatina anthologia iam dudum reperta sunt. Sed spes me fecellit, nam perlegens Planudis syllogen quamquam ad hanc rem semper animum adtendi, nihil tamen inveni quod non tribui posset casui aut idem apud Cephalam exstaret. Hinc igitur nihil effici potest.

Neque hoc magni pendo, quamquam casu factum esse negandum videtur, quod collectionis Euphemianae ep. 20. 21. = Plan. εἰς Ἐφεσία 8. 9 (= Anth. Pal. IX 449. 440) eodem modo coniuncta leguntur¹ quodque inter Plan. IV εἰς λουτρὸν 27. 28 = Cramer anecd. Paris. IV p. 370 extr. p. 371 inc. non intercedit quod est in Anth. Pal. IX 638. At non leve videatur, id quod iam Schneidewin observavit (Progymnasmaton

A. P. VII 121—130 = Plan. III εἰς φλοσίφους 27—36.

A. P. IX 713—723. 728. 724—727. 729—737 = Plan. IV εἰς ἀγάλματα ζέων 1—25.

A. P. IX 793—798 = Plan. ibid. 26—31.

A. P. IX 738—742 = Plan. ibid. 32—36.

A. P. IX 606—614. 616—626 = Plan. IV εἰς λουτρὸν 1—21.

A. P. IX 649—659 = Plan. εἰς οὐκους 1—11.

A. P. IX 764—769. 771. 763 = Plan. IV εἰς σκεύη 1—8.

A. P. VI 23—28 = Plan. VI ἀπὸ ἀλιέων 3—8.

A. P. VI 314—320 = Plan. VI ἀντιστρέφοντα 1—7.

A. P. VI 321—329 = Plan. VI ισόψηφα 1—9.

A. P. VI 11—16. 179—188 = Plan. VI ἀπὸ κυνηγῶν 1—16 (sunt nota illa ep. in tres fratres tria retia dedicantes, quibus tamen 188 aliis argumenti adhaesit).

A. P. VI 62—68 = Plan. VI ἀπὸ ταχυγράφων 1—7.

A. P. V 220—225. 228. 229. 230 = Plan. VII 31—39.

A. P. V 87—90. 92. 93. 95. 94 = Plan. VII 130—137.

¹ Quod Plan. I εἰς μητριάν 2. 3 = Euph. 7. 8. Plan. II εἰς λεπτοὺς 14. 15 = Euph. 40. 41. Plan. VI ἀπὸ ἀλιέων 1. 2 = Euph. 50. 51. Plan. III εἰς ναυαγήσαντας 6. 7 = Euph. 52. 53, nihil est, nam eodem ordine leguntur haec ep. in Anth. Pal. IX 68. 69; XI 106. 107; VI 4. 5; VII 268. 269. Similiter in sylloge Crameri p. 375 coniuncta sunt Plan. I εἰς βίον 8. 9 = Anth. Pal. X 72. 73; p. 376 Plan. II συμποτικὰ 17. 18 = Anth. Pal. XI 47. 48.

p. 10) quod Euphemianae anthologiae 25 — 27 eodem ordine leguntur apud Planudem I εἰς δένδρον 12 — 14 (= Appendixis Plan. II — I3) ita ut Planudem vetustum exemplar expressisse intellegamus.' Itaque Planudes quoque magna illa et vetusta ep. collectione usus est, et valet id quod antea de solvendis inde nonnullis difficultatibus dixi. Sed fortasse praeterea etiam Cephalam compilavit, vel in primis illum tum pro supplemento alias collectiones. Memorat quidem ipse Planudes unum tantum librum in praef. libri VII τὰ γὰρ τοιαῦτα (scil. τὰ ἀσεμνότερα καὶ αἰσχρότερα) πολλὰ ἐν τῷ ἀντιγράφῳ ὅντα παρέλιπε φησὶν ὁ Πλανούδης; sed tali argumento quis quid dabit? Cumque de ep. libro ad Theodorum Xanthopulum conscriberet epistulam¹ multa quidem verba fecit, sed eorum quae scire nostra interesset nil adiecit. Verum sine dubio Cephalae anthologia cognita fuit Planudi. Leguntur enim Anth. Pal. VII 327. 328 duo ep. in Casandrum quendam, quae a Gregorio magistro Larisae ex ipso sarcophago descripta sunt, ut etiam Anth. Pal. VII 334. 335 ab eodem illo Cyzici². Gregorius ille (de quo cf. Jacobs Proleg. p. LXXIII et quae antea dixi p. 11,1) quae descriperat ex lapide Cephalae discipulo dedit anthologiae inserenda (cf. lemma VII 334) in magno igitur illo epigrammatum libro haec non exstabant. Quae eadem cum inveniantur apud Planudem III εἰς ἀγαθοὺς ἄνδρας 6. 7.

¹ Quam editam habes in Aemilii Piccolomini *Estratti inediti dai codici greci della biblioteca Mediceo-Laurenziana* p. 58. Initium est hoc: οὐκοῦν ἐπειδὴ τὴν τῶν ἐπιγραμμάτων βίβλον αἰτήσαντί μοι τὸ παράπαν οὐκ ἔφης δώσειν ἀν μὴ γραμμάτων τύχης ἐμῶν, νῦν ἡδη κοσμηθεῖσαν ἐπιστολῇ κομιζου τὴν αἰτησιν. καίτοι τί λέγω; τί δὲ ἐπαγγελλομαι; ὅπερ ἐνθάδε τοῦ λόγου γενόμενος ἐκ προσωπίων εὐθὺς πέπονθα, οὔτ' ἐγὼ κρύψω, καὶ σὺ δὲ οὐκ ἀνθύμως ἀκούοις. γράψειν μὲν ἀνεστησάμην, ὅ τι δὲ ἀν γράψοιμι οὐκ εὑπόρα καταφαίνεται, οὐδὲ ἔστιν οὕπερ ἀν ὡς ὅλης πύρ ὁ λόγος ἐπιλαβόμενος δράμοι καὶ ἀναλάμψεις. τί γάρ με δεῖ γράψειν; ὅτι πέμψον τὴν βίβλον; ἀλλ' εἰρηται. ἀλλ' ὅτι γρήζοντι πέμψεις; ἀλλὰ καὶ τοῦτ' οἰσθα. ἀλλ' ὅτι θάττον ἑτέρων ἀποδώσω; τί δαί; οὐκ αὐτὸς τούτου μοι μάρτυς; ἀλλ' ὅτι σώαν; καὶ τίς οὐκ ἀνέξῃ. Iamque materiam adeptus quae ignem nutrire possit multus est de gnoma δεῖν δανείζειν τοῖς γρήζουσι, de libro nil amplius.

² Si modo ἐν κυζίκῳ illuc recte emendatum est, nam posset, aliquis conicere antea aliud nomen scriptum fuisse; cf. supra p. 10,1.

εις ἄνδρας οὐκ ἐπισήμους 33. 37 etiam Cephala eum usum esse consequens est.

Etiam quo modo usus sit Planudes Cephala interdum intellegi potest, optime libro primo. Saepissime enim postquam ex Cephala excerptisit quae uni capiti insererentur, in fine addidit aliunde petita, ut I εις ἀγῶνας, εις ἄνδρειους¹, εις αὐλητὰς, εις αὐτάρκειαν, εις ἔρωτα, εις μέθην, εις ποιμένας, εις φιλαργύρους, εις φιλοσόφους IV εις ζῷα, εις κιθηρώδους, εις λουτρὸν; interdum autem ordinem invertit ut III εις ἀγωνιστὰς, IV εις βάσκας, εις γυναικας, εις ἥρωας, εις νίκην. Haec qui animum advertit nullo modo dubitabit quin recte antea (p. 18 et 27) posuerim non ex Cephala pleniore et integriore exemplo ad Planudem pervenisse quae ille solus praebet: quod qui adhuc persuasum habet ei demonstrandum est quo tandem modo Planudes distinguere et separare potuerit ep. illa quae postea interitura essent ab reliquis; quod insulsum est cogitatu.

Aliter res se habet in capitibus I εις δένδρα, εις μετριότητα, II εις ἀσελγεῖς, εις ἑτορας III εις ἀγαθοὺς ἄνδρας, εις ἄνδρειους, εις ἀρχαίους, εις αὐλητὰς, εις ἥρωας IV εις λίθους, εις πηγὰς, εις σκεύη ubi Cephalanis intermissa sunt bina vel trina ep. aliunde petita; cuius rei causam non video. Sed quis excogitarit omnes casus qui aliquid valere potuerunt? Fortasse in his capitibus ep. quae aut praecedunt aliena illa aut subsecuntur ne ipsa quidem ex Cephala hausta sunt sed ex magna illa anthologia. Quamquam hoc cadere non potest in capita IV εις ἄνδρας ἀγαθοὺς, εις ἀγωνιστὰς, εις ἥρωιδας ubi Cephalana quasi adspersa sunt alienis. Neutri classi adtribui possunt IV εις τὴν, εις ιατρὸν, εις κακιὸν, εις δρυηστρίδας, εις ἑτορας, εις φιλοσόφους cum nihil contineant quod Cephalas ministraverit. In reliquis (IV εις βασιλέας, εις ζωγράφους, εις θεοὺς, εις ποιητὰς) rationem aliquam² dispicere difficile: for-

¹ Ep. βάλλετε νῦν μετὰ πότμον quod illic est 14 (app. Plan. 4) aut intercidit apud Cephalam, aut quod veri est similius a Planude transpositum est propter similitudinem reliquorum ep.

² Rationem dico qua in compilandis usus sit Planudes, nam in disponendis interdum litterarum ordine eum usum esse optime observavit Benndorf De anthologiae graecae ep. quae ad artes spectant p. 3, 1; cf. etiam Finsler p. 116.

tasse aliquando et Palatini libri et Planudei³ lectionibus accurate enotatis et comparatis effici poterit unde singula ep. in Planudeam anthologiam pervenerint, ex Cephala an aliunde; quod nisi factum erit recte nullo modo iudicari poterit de utriusque auctoritate, imprimis in lemmatibus, quorum confusione ubi ep. ex Cephala petitum est interdum demonstrare digito licet, ubi non est, nova quaestione opus.

³ Unus enim codex Venetus Marcianus 481 in censum venire videtur; cf. Finsler p. 6, 6 et p. 33, 4.

V I T A.

Paulus Henricus Augustus Wolters natus sum Käl. Sept. a. 1858 matre Luisa Kaempffer patre Albrecht Wolters, qui tunc temporis divini verbi erat minister in ecclesia evangelica Bonnensi. Elementa postquam in ludo litterario didici gymnasium urbis patriae adii auctumno a. 1867 Septem annis post cum interim pater theologiae professor Halas esset vocatus in gymnasium civicum Halense quod viri humanissimi Ottonis Nasemann floret auspiciis receptus sum. Cuius scholæ disciplinae quantum debeam eloqui vix possum, praecipue qui in prima classe institutionem moderabantur viri multis me ac magnis beneficiis sibi devinxerunt. Reliqui scholam maturitatis testimonium adeptus auctumno a. 1877 civibusque adscriptus sum universitatis Fridericianae Halensis studiis operam daturus philologis et archaeologis. Sed quod solet tempus gratissimum esse adulescentibus, cum et studiorum et libertatis novitate capti novam quasi vitam vivere incipiunt, mihi evenit luctuosissimum, nam pater carissimus eodem illo tempore morbo insanabili correptus est, cui quintum post mensem succubuit. Mater in patriam reverti constituit, quam ego secutus mense Sept. a. 1878 redii ad almam hanc Musarum sedem, cuius civis usque ad hunc diem fui excepta una hieme a. 1879/80 quam Argentorati degi. Docuerunt autem me Argentorati: Michaelis, Nissen, Schöll, Studemund; Bonnae: Aufrecht, Bernays, Bücheler, Held, Renardus Kekulé, Küppers, Leo, Mohr, Usener; Halis: Beyschlag, Erdmann, Haym, Heydemann, Keil, Krohn, Iohannes Schmidt, Thiele, Zacher uterque. Comiter concesserunt ut interessem exercitationibus archaeologis Heydemann, Kekulé, Michaelis; philologis et epigraphicis Bücheler, Schöll; seminarii adeundi benigne copiam mihi fecerunt philologi Schöll, Studemund; historici Nissen. Praeterea Bücheleri et Useneri egregia erga me benivolentia factum est ut in seminarium regium Bonnense reciperer sodalis ordinarius eiusque disciplina fruerer per annum unum et semis. Pro quibus beneficiis viris illis omnibus gratias maximas et habeo et habeo, praecipue autem tribus illis viris, quorum nomina huic libello praefigere mihi licuit, fore ut aliquando dignas gratias reddam vix sperare possum, nam quicquid sum, siquid sum, id omne illorum.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

Platonis Reip. p. 443^D legendum est . . . καὶ ξυναρμόσαντα τρία ὄντα ὥσπερ χορδὰς, τρεῖς ἀρμονίας ἀτεχγῶς νεάτης τε καὶ ὑπάτης καὶ μέσης . . . Codd. ὅρους.

II.

Eiusdem Menon. p. 91^E οὐ μόνον Πρωταγόρας ἀλλὰ καὶ ἔλλοι πάμπολλοι οἱ μὲν πρότερον γεγονότες ἐκείνου οἱ δὲ καὶ νῦν ἔτι ὄντες, delendum censeo ἐκείνου.

III.

Xenophontis Conviv. I 4 οἴμαι οὖν πολὺ ἀν τὴν κατασκευήν μοι λαμπροτέραν φανῆναι εἰ ἀνδράσιν ἐκεκαθαρμένοις τὰς ψυχὰς ὥσπερ ὑμᾶν ὁ ἀνδρὸν κεκοσμημένος εἴη μᾶλλον ἢ εἰ στρατηγοῖς καὶ ἵππαρχοις καὶ φρουράρχοις.

Codd. σπουδάρχοις vel σπουδάρχαις.

IV.

Timonis Phlias. fr. X Wachsmuth (Laert. Diog. IX 52) sic legendum

Πρωταγόρης τ' ἐπὶ μισθῷ ἐριζέμεναι εῦ εἰδὼς.

Codd. ἐπίμικτος.

V.

Ex Callimacho expressos esse Ibidis Ovid. v. 35 sq. efficitur eiusd. Trist. V 5, 38.

VI.

Anth. Pal. XI 171 v. 3 sq. sic emendandi videntur

Ψηφίζων δ' ἀνέκειτο πόσον δώσει διεγερθεὶς

ἱητροῖς μισθοῦ, καὶ τί θανὼν δαπανᾷ.

Codd. Pal. et Plan. νοσῶν, sed cf. VII 607.

VII.

Boissonade Anecd. gr. II p. 472

Ομηρος αὐτοῦ γυμνάσαι γνῶσιν θέλων

τῶν βατράχων ἐπλασσε καὶ μυῶν μόθον

ἐνθεν παρορμῶν πρὸς μίμησιν τοὺς νέους.

Cod. μῆθον.

VIII.

Senecae ep. 102, 11 scribe: Deinde claritas desiderat
nulla suffragia.

Codd. *multa*, edd. *non addunt ante desiderat.*

IX.

Eiusdem Dial. II 1, 3 per seditiosae factionis manus *tractus*.

Cod. *traditus*, sed cf. ep. 14, 13.

X.

Eiusdem q. f. de remed. fort. lib. III 2 'Peregre morieris.'
Non est gravior foris quam domi *humus*.

Editur *somnus*.

XI.

Quintiliani inst. or. VIII 5, 18 cave ne Haasium (Senecae fr. 106) secutus plura Senecae tribuas. 'Habeo quem fugiam,
quem sequear non habeo' Ciceronis est; cf. Macrob. II 3, 7.

XII.

Spartiani Vitae Hadr. XXVI 3 Veñando autem iugulum
et *coxam* fregit.

Editur *costam*, sed cf. Dio Cass. 69, 10, 2 καὶ γὰρ τὴν
ἀλεῖν ἐν ταῦταις (ταῖς θήραις) κατέσκεψε καὶ τὸ σκέλος μικροῦ
ἐπηρώθη.

XII.

Tibulli I 5, 65

Pauper ad occultos furtim deducet *amores*

Vinclaque de niveo detrahet ipse pede.

Codd. *amicos*.

XIV.

Ovidi Amor. I 4, 23

Si quid erit de me tacita quod mente *queraris*

Pendeat extrema mollis ab aure manus.

Editur: *loquaris*.

XV.

Erasmus Roterodamus ep. XX 38 (= ep. 636, p. 725 ed.
Froben. a. 1540, p. 733 ed. Clerici) scripserat: Tandem praeter
omnem spem vinum nactus Burgundiacum re ipsa comperi,
quicquid hactenus mali fuit, ex huius regionis *vinis* esse natum.
Impressum est *villis*.

XVI.

Pamphaeus Acheloum non ideo ad modum piscis caudatum fecit (Gerhard A. V. II 115) ut eius mutationes exprimeret, sed Tritonis Herculisque luctationes imitatus est.

XVII.

Falso contendunt ante postrema Tiberii tempora non fuisse, qui militiam a centurionatu auspicarentur. Hoc iam fecit L. Iulius Vestalis, M. Iulii Cottii filius, regis Donni nepos; vide Ovidii ex Ponto IV 7. — De cuius praenomine cf. CIL. III 2371.

XVIII.

Tiberius triumphum Pannonicum a. p. Ch. n. XIII egit.
